Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 585
Quelle:
Copyright:

Non igitur in Codice Liber II. Prologum habet; Liber I. autem multo brevior non nisi ab expositione *Capitis* IV. *Et erit in novissimo dierum* &c. Edit. *col.* 473. incipit, cui haec praemittuntur: *Non ab initio primi libri expositionem scripsimus. Sed ab eo loco ubi de ecclesia uel proprie de persona domini saluatoris propheta locutus est. De primo libro.* Quae, ni fallor, Librarii arbitrio suo usi verba sunt.

V. *fol.* 120. *Incipit prologus Sancti Jeronimi presbiteri in Naum Prophetam.* Ita: *Juxta LXX. interpretes* &c. ut Edit. *col.* 533. Rite omnia.

VI. *fol.* 138. *Incipit prologus Sancti Jeronimi p. In Sophoniam prophetam.* Ita: *Antequam Sophoniam aggrediar* &c. ut Edit. *col.* 571. Finit Explanatio: *et confusio eius nobis proficiat ad salutem.* Itaque non habemus Clausulam illam in Edit. *col.* 734. *Hæc juxta Septuaginta. Hebraicum enim* &c.

VII. *fol.* 144. p. 2. *Incipit exp. eiusdem in aggeum prophetam.* Initium Prologi: *Secundo anno darij* &c. ut Edit. *col.* 735. Recte omnia, nisi quod Prologus ab Expositione non discriminetur.

VIII. *fol.* 150. *Incipit explanatio Sancti Jeronimi presbiteri In abacuc prophetam. Ad cromatium episcopum.* Nempe: *Primum mi Cromati episcoporum doctissime* &c. Libri II. Praefatiuncula cohaeret cum ipsa Explanatione. Extat T. *cit. col.* 587. Atque hic *Hieronymiana* finem habent, quibus si Codicem sequentem jungas, nihil Commentariorum S. Patris in XII. *Prophetas minores* deest. Textus hic ut plurimum satis castigatus, Graeca vero, ut solent, admodum corrupta

IX. *fol.* 177. p. 2. *Oratio abacuc pro ignorantia.* Orationem hanc, sive *Caput* III. hujus Prophetae bis ab *Hieronymo* expositum fuisse, nemo docet. Cujus igitur sit sequens Expositio? Incipit illa: *In hoc cantico loquitur propheta de incarnatione filij dei & passione & resurrectione atque ascensione eius in cęlis dicens. Domine audiui. Supra locutus fuerat propheta temere contra dominum. Cur permitteret sanctos affligi diuites pollere dicens. Quare non respicis super inique agentes. et taces impio deuorante se iustiorem. Et ideo quia ita temere locutus fuerat iudicia domini reprehendens. pro ignorantia sua cantauit hoc canticum domino. et dixit. domine audiui. Auditio filij fuit quam propheta audiuit. non aure corporis sed mentis* &c. Extrema concisae hujus Expositionis sunt: *filio suo scilicet qui triumphauit de diabolo.* Nec *Haimonis*, nec *Remigii Autissiod.* nec *Walafridi Strabi* sunt haec, quamvis horum quaedam apud istos verbotenus reperiantur.

X. *fol.* 179. p. 2. *Prefatio bede presbiteri in librum Regum.* Puta in IV. *Libros Regum;* ex omnibus enim *Nothelmus* illi difficultates proposuerat, quas XXX. Quaestionibus in praesens expedit. Init Praefatio: *Dilectissimo fratri Nothelmo beda salutem. Que de libro*